



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De scuto bonæ voluntatis contra hostes. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

mere, & plorare; vt ipse te semper adiuet, cōfortet, & custodiat; & post multa pericula, ad se (vbi vera & aeterna pax est) benignè cum gratia perducatur.

2. O quā bene & prudenter facit, qui omnia terrena relinquit, & omnes vias peccādi vitat, & in secreto à negotijs seculi se abscondit. O quā vtiliter & fructuosè studet, qui in vita & passione Christi quotidie se exercitat; & omnia curiosa & alta quę à Deo & internis retrahunt, dimittit, vt de vltimo fine & iudicio sapissimè pepsit. Fidelis & prudens seruus, qui humilia exēpla Christi & sanctorum eius deuotè sequitur, & latas vias magnorum cauet & fugit. Nā diuitibus & magnatibus maximè insidiatur diabolus, & per honores & delicias decipit & perdit. A quibus pauperes & simplices sunt sepe magis liberi, sed nō penitus securi. Nā videntes multos doctos in hoc mundo florere, & socios suos ad altiora cōscendere; tentātur similia habere & licitè possidere. Sed Christus contradicit, & melius suadet, dicens: *Vendite, quę possidetis, (& à vobis non habetis, nec fecistis, nec creastis) & date pauperibus. Nolite thesauros in terra, vbi omnia pereunt. Thesaurizate vobis thesauros in caelis, vbi omnia bona in aeternū manēt. Fuge ergo mundū, & sequere Christū; vt euadas infernum, & intro cum eo cœlum.*

Diuitibus
& honoratis
maximè instat
diabolus.

Luca 17. &
18.
Matt. 6.

C A P V T X.

De scuto bonæ voluntatis contra hostes.

Psal. 90.
Ioan. 14.

Rom. 8.

Psal. 5.

1. **S**cuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, in longis matutinis; nec in die à demonio meridiano, in laboribus multis & ieiunijs strictis. Iesus Christus, via, veritas, & vita salus, virtus sapientia, aderit tibi à dextris tuis & sinistris in omnibus, quę legis, cantas, & agis, vt perseueres latus, in Dei semper laudibus. Ipse adiutor tuus, custos, & protector fortis ab omnibus hostibus malignis. *Si Deus pro nobis*, ait Paulus, *quis contra nos?* Vis non timere hostem? Amā Christum. Quanto enim plus in te crescit amor Dei, tanto plus vilescit amor mundi, & perit timor mali. Amor Dei mortem non timet, nec diabolus, nec infernum. Tene ergo fortiter scutum bonæ voluntatis in amore Dei, & peribit omnis timor & fraus inimici.

2. Bona volūtas odit omne malū, cauet pro posse omne peccatum; respuit fictū, negat falsum, fugit mendaciū, detestatur omne vanum & inhonestum. Bona voluntas bene placet Deo, diligit omne bonum, omne verum, iustum & sanctum, quęrit perire vbiq; honorem Dei in omni opere & sermone bono, in omni loco & tempore, quamdiu vixerit in mundo. Bona voluntas

congaudet proximo in bono, contristatur de malo; subuenit in necessarijs, orat pro delictis; indulget offensis, miseretur infirmis, consulit meliora errantibus. Bona & perfecta voluntas habet Deum semper præ oculis, & cupit soli Deo placere in bonis operibus & cogitationibus suis; aliorum profectum corde & ore amat, & suum reputat; propriam voluntatem citò abiicit, laudem spernit, reputari subterfugit: omnia enim vana reputat, quæ à Deo retrahunt, & in infimis delectatur.

3. O frater paupercule, infime, & despecte, noli deficere in tribulatione & dolore; quia probaris cum Christo in cruce, & cum martyribus in clausura & carcere. Sustine ergo modicum patienter & libenter, qui non potes multa ferre gaudenter, sicut multi sancti fecerunt. Fer saltem pauca leuia verba, qui non vales pati dura verbera. Sustine tu pro Christo aliqua tibi grauiora, quando tam multi seculares sustinent pro mundo grauiora sine numero. Noli perdere meritum tuum per impatientiam, qui omni die & hora potes promereri per piam sufferentiam, regnum Dei & æternam gloriam. In tribulatione & dolore, statue ante te passionem Iesu Christi, & feres leuius omne graue, quod te premit.

4. Nemo est in mundo, cui non occurrit aliquid contrarium, in corpore vel in animo. Nullus sine labore & dolore sub celo; vnusquisque sibi ipsi onus est & passio, siue solus sit, siue cum alio, in otio vel negotio. Necessaria ergo gratia Dei, & magna patientia intus & extra, tanquam scutum bonæ voluntatis, contra inimici iacula, & carnis vitia, & mundi blandimenta. Indue armaturam Christi serue Dei, & certa, vt bonus & fidelis miles, crucifixo firmiter adherendo. Tota vita Christi crux fuit, sic & tua erit. Ipse enim dicit: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me in regnum meum.* Luca 9.

CAPVT XI.

De laude Dei in omni opere bono.

1. **A**uda anima mea Dominum. Omnia bona fac ad laudem Dei, & quodcumque aliqua bona cogitas, loqueris, & operaris, dic in fine: Deo laus, Deo gratia. Quia sine Deo & gratia eius, nil boni potes perficere, nec incipere: nec bene, rectè, & virtuosè consummare. Deus omnis boni initium & finis, dat & reperit, quod dedit. Recedat ergo superbia, iactantia, & vana gloria; veniat & intret humilis oratio, deuota meditatio, gratiarum actio, & vox laudis omni tempore.

2. Quomodo potest aliquis venire ad puritatem & pacem cordis? Audi breuiter, & serua versum istum in psalmo: *Declina à malo,*

T 3

psal. 33.
lo,